

ricus de Rothowe; ministeriales Haluericus et Henricus fratres, Rödolfus, Burcmannus et Henricus fratres, et alii plures. Actum in Misina publico capitulo, anno dominicae incarnationis M. C. LX., indictione VIII., VX. (sic) kal. Novembris anno ordinationis domini Gerungi Misinensis episcopi VI. feliciter, amen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit doppelt aufgedrucktem auf beiden Seiten wohl erhaltenem Siegel.

Kreysig Beitr. I. S. 10. — Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 34.

## No. 53. 1160.

*B. Gerung genehmigt des Domherrn Anselm Schenkung der von Neuem urbar gemachten Wüstung Bucwicz im Burgward Julburk.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. G. divina favente clementia Misinensis episcopus. Quum futurorum incerta novitas nonnunquam oblitterare solet praeteritorum statutas iustitias, necessario super his cautio datur, ut quod auctoritate subnixum est, nullius violenta temeritas transgrediatur. Quocirca notum sit omnibus tam modernis quam posteris Christi fidelibus, qualiter nostro ac fratrum nostrorum voluntario consensu Anselmus Misinensis ecclesiae canonicus et custos novale quoddam Bucowiz<sup>a</sup>) dictum, multis a natura seculis incultum in burcardo Julburk<sup>b</sup>) situm, ad obedientiam fratrum, quae ibidem ipsius providentiae commissa erat, attinens, ad excolendum cultoribus contradidit ea videlicet iuris positione, ut X annis sine censu libere possideant, post quos de quolibet manso II<sup>os</sup> solidos annuatim persolvant, unum scilicet in festo sancti Michaelis, alterum in festo sancti Martini. Praedicti autem novalis VII mansi dimensi sunt, quorum unum villicus beneficii gratia possidebit, reliqui VI statuto tempore censuales erunt, ea videlicet lege, ut, dum res ad emolumentum pervenerit, census praetaxatus in servitium fratrum expendatur et post obitum praenominati confratris Anselmi anniversarius dies eius suo debito memorialis habeatur. Hoc quoque annectimus, quod ad corroborandam iustitiam suam cultores huius novalis pro emptione cuiuslibet mansi VI denarios dederunt, ut quicquid in posterum de inculta terra excoluerint, hereditario iure possideant et inconcussi de his, quae ibi acquisierint, permaneant. Ne quis vero temerator horum existere praesumat, hanc paginam testimonialem inde conscribi fecimus et sigilli nostri impressione munivimus. Actum anno ab incarnatione domini M. C. LX. tunc regnante domino Friderico Romanorum imperatore, praesidente cathedrae Misinensi domino Gerungo, praesentibus et videntibus canonicis praeposito T., Hermanno decano, Alberto, Ilsungo, Anselmo custode, Herborto Wrzinenzi praeposito; laicis vero Hermanno praefecto, Pribizlao advocatione, ministerialibus Elverico, Henrico, feliciter amen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit wohl erhaltenem auf der Rückseite aufgedrucktem Siegel. Schöttgen u. Kreysig Nachl. VII. S. 399. — Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 35.

a) Buchwitz, jetzt wüste Mark bei Pehritzsch, vgl. No. 110. b) Eilenburg.